



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

XII. Quomodo matutinorum solemnitas agatur. Manè requisitum dicto  
pro tempore ritum Nunc quoque devotâ sedulitate nota.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

14. FEBR. 15. JUN. 15. OCTOB.

CAPUT XII,

*Quomodo Matutinorum solemnitas  
agatur.*

**I**n Matutinis *b* Dominico die imprimis dicatur sexagesimus sextus Psalmus *c* sine Antiphonâ indirectum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Allelúja. Post quem dicatur centesimus decimus septimus *f*, & sexagesimus secundus *g*. Inde Benedictiones *h* & Laudes *i*. Lectio una de Apocalypsi ex corde *m*, & Responsorium *n*, & Ambrosianum *o*, Versus, Canticum de Evangelio *p*, Litanía *q*; & completum est.

- a) *Idem, quod Officium, vel ritus sic dictum quòd soleat in anno fieri, Ex S. Aug.*  
 b) *Id est, Laudibus. Vid. not. cap. 8. in fine.*  
 c) *Scil. Deus misereatur. Quamvis autem Menardus hic putet, non esse pramittendum Versum, Deus in adiutorium tum propter appositam à S. P. particulam imprimis; tum etiam quia duo primi versus huius psalmi idem implicitè continent.*

*Rectius*

*Rectius tamen contradicunt Boërius & alii, eò quòd Laudes c. 16. computentur inter Horas diurnas, in quibus juxta c. 18. semper præmittitur Deus in adjut.*

d) *Id est, sinè elevatione & depressione vocis.*

e) *Scil. Miserere; qui Psalmus, licèt sit pœnitentialis, dicitur nihilominus cum Alleluja, tum propter Dominicam resurrectionem, quæ diebus Dominicis recolitur; tum propter Psalmum mox sequentem, cui ab ipso Davide præfigitur titulus Alleluja.*

f) *Scil. Confitemini.*

g) *Scil. Deus, Deus meus.*

h) *Id est, Canticum Benedicite.*

i) *Id est, Psalmus Laudate cum duobus sequentibus, à quibus hoc totum Officium modò nominamus Laudes.*

l) *Id est Capitulum: Benedictio & claritas.*

m) *Sive memoriter, subintellige, dicatur.*

n) *Scilicet breve.*

o) *Sive Hymnus, juxta notata c. 9. ad litteram m.*

p) *Scil. BENEDICTUS.*

q) *Sive Kyrie eleison. Vid. c. 9. lit. cc & dd.*